

administrant, neque ulli regi serviunt. Crepidines Pinnæ Marinianæ appellantur. Ii & ipsi, ne ab Cæfare in servitutem redigerentur, cum magnopere timerent, Senatui eo tempore significaverunt, velle se sub ejus imperio esse: mitteret ad se aliquem reipublicæ nomine: se illius dicto audientes futuros, imperataque facturos. Sed neque hos, nec cæteros, qui se reipublicæ dedere cupiebant, Patres recipiendos censuerunt.

Miserant inter hæc reges Hispaniæ ad Senatum Laurentium Suarem, illum eundem qui legatus eorum bello Gallico apud rempublicam fuerat. is clam itinere per Galliam confecto, paucis ante calend. decembris diebus ad urbem venit: atque illi auri libra singulis est mensibus in sumptum a Senatu constituta. In primis apud Lauredanum Principem & Patres sermonibus Suares de Aloisio rege Gallorum questus, *Quod fœderi cum suis inito regibus non stetisset, ut cui neque sua, neque aliena satis essent: ab ejus amicitia Patres avertere modis omnibus est conatus, illum affirmans propterea Cæsaris rebus tanto studio favisse, ut esset qui reipublicæ finibus immineret, neque quiescere illam sineret. gaudere implicitam esse bello Tbracio civitatem. Quam ad eos classem miserit, ad speciem, non ad ullam reipublicæ frugem misisse. id eventu patuisse, quod obfuerit potius, quam ulli usui fuerit. Hispaniæ regum voluntatem omni tempore cum reipublicæ voluntate consensisse, quoniam utrique fidem & pietatem colerent: si se in fœderibus una firment, neminem nocere eis posse.* Hæc & his similia de Suare non semel a Patribus auditæ, tametsi vera esse pleraque cognoscerent, illos tamen non moverunt, ut quod ipsis cum Aloisio fœdus intercedebat, ulla ex parte violarent: tantum dicere: *Se se Hispaniæ regum fidem atque virtutem, & propensum in rempublicam animum plurimi sane facere, semperque facturos: cum Aloisio fœderis conditionibus se teneri: moleste ferre bellum inter ipsos exerceri potius, quam vigere pacem: si quid possent ad reconciliandam inter eos gratiam, de eo si admoneantur, se non defuturos, amicissimorumque hominum officio in utrunque facturos.* Cum Uladislao au-

H. Bembi.

P

tem

Hispaniæ  
regis legatio  
ad Venetos,  
ut fœdus  
ineant se.  
cum adver-  
sus Gallia-  
rum regem.